



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. CXLIII. Benedictus Dominus Deus, qui &c. Carm. gen. 13.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Ab hoste sæuo protege me, meæ  
 Custos salutis: praua repellere  
 Mentem manumq̄, & recta capeffere  
 Doce, unicum te qui ueneror Deum,  
 Arcana fac uis numinis ut tui  
 Per plana gressum dirigat, ut tua  
 Mandata secter: neu malè credulum  
 Error malorum uertat in orbitam.  
 Vt nulla numen non celebret tuum  
 Et æquitatem natio, recrea  
 Me destitutum præsidio: & malis  
 Hostis scelesti libera ab artibus.  
 Fauoris umbra me solita tege  
 Et qui me acerbis usq̄, doloribus  
 Affligit, hostem perde nefarium,  
 Seruumq̄ serua perpetuò tuum.

PSAL. CXLIIII. *Benedictus Domi-  
 nus Deus, qui &c.* *Carm. gen. 13.*

Quo te rex hominum carmine prosequar?  
 Qui firmas animum robore, qui manum  
 Et bellare doces, & dubij regis  
 Per discrimina prælij.  
 Quòd uiuo & ualeo, tutus & hostium  
 A fraude, eximia fulgeo gloria:  
 Quòd latè ualidis impero gentibus,  
 Totum muneris id tui est.  
 O rerum genitor, quantulus est homo  
 Hac quem prosequeris munificentia,  
 Et

Et curas patria sollicitudine  
 Figmentum fragilis luti?  
 Quo nec bulla leuis uanior est, neq;  
 Quæ mentes agitant somnia turbidas,  
 Nec serum fugiens umbra crepusculum,  
 Nec fumi uolucris uapor.  
 Cæli pande fores rex bone cælitum,  
 Ac de sidereis labere sedibus:  
 Montes nube operi: per liquidi aëris  
 Campos fulgura traijce.  
 Turbatos trepida sparge fuga impios,  
 Et sparsos iaculis perde sequacibus:  
 Porrectaq; manu me, pater optime,  
 Sæuis eripe fluctibus.  
 Hostis pelle malam uim bonus impij:  
 Linguae uaniloquæ reprime toxica:  
 Assuetæq; dolis pestiferis manus  
 Vires contere uiribus.  
 Ut te nostra nouo carmine barbitos  
 Dicat, subsidio qui recreas tuo  
 Reges: qui grauib; sæpe periculis  
 Vitam Dauidis eripis.  
 Hostis pelle malam uim procul impij.  
 Linguae uaniloquæ reprime toxica:  
 Assuetæq; dolis pestiferis manus  
 Vires contere uiribus.  
 Natorum soboles crescat, ut ubere  
 Surgit filua solo laurea: uirgines  
 Cultu sic niteant ut laquearibus  
 Templorum tholus aureis.  
 Stipentur grauidis horrea frugibus:  
 Pleno

Pleno cuncta penu copia suggerat:  
 Fœcundi pecoris non capiant greges  
 Latis pascua saltibus.  
 Pingues plaustra boues & nitidæ trahant:  
 Nec tristi resonent compita classico,  
 Nec fletu plateæ: nec furor hosticus  
 Clausis affrenat oppidis.  
 Felicem populum, inter bona talia  
 Qui uitam in tacito transigit otio.  
 Felicem populum ter quater, omnium  
 Cui rerum pater est Deus.

PSAL. CXLV. Exaltabo te Deus meus  
 rex, &c. Carm. gen. 30.

**T**eregè Dominumq̄z canā dū lucida uoluet  
 Lucidus astra polus,  
 Et unicum colam Deum.  
 Luce canam te, nocte canam te: nulla carebit  
 Laudibus hora tuis,  
 Rerum creator & salus.  
 Magne parēs, nullo cui clausa potētia fine est,  
 Sæcula cuncta tuas  
 Laudes sonabunt: & patres  
 Longæui tua facta canent, seræq̄z nepotum  
 Per seriem soboli  
 Prodent: nec ætas gloriam  
 Nesciet ulla tuā: mirandaq̄z facta decusq̄z  
 Ille memor referet:  
 Hic magnitudinem canet.  
 Ille bonum feret & iustum, & placabilis iræ,  
 Et